UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Cap. 11. Vestis candida quorum sumptibus emeretur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64585

Visual Library

præbendæ rationem aſsignans, ita inquit, bap-*tizamur Spiritu ſancto, quando abluimur a peccatis, quam ablutionem ſignificant albæ, veſtes in baptiſmate per totum corpus.* Quo loco, præterquam quod pluralis numerus repetitur, totius etiam corporis veſte candida induti mentio fit, quod nos aſſerimus.

Veſtis candida quorum ſumptibus emeretur.

CAP. XI.

Diuites albam veſtẽ ſuis ſumptibus emebant.

VErum hoc loco illud diſputandum videtur, Eccleſiæne, an eorum, qui baptizandi erant, ſumptibus candida veſtis emeretur. Quod etſi ſatis non conſtat: tamen non cunctabor profiteri, plerunq; baptizatos eam ſuis ſumptibus ſibi cõparaſſe. Quod mihi venit in mentem, S. Gregor. Nazianzeni orationem 39. in ſanct. lumin. conſideranti, vbi ille adducta eorum obiecta, qui per ſpeciem tenuioris fortunæ baptiſmum differebant, ita reſpondet: *turpe eſt, dicere: Vbi eſt munus, quod propter baptiſmum offeram? Vbi ſplendida veſtis, in qua ſplendeſcam? Vbi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur? Vt in his quoque rebus nominis celebritatem conſequar. Valde enim, vti vides, hæc neceſſaria ſunt: & propterea gratia imminuetur, ne in magnis rebus minuta in rationem mittas, ne turpi aliquo, & abiecto affectu te duci patiaris.* Ad quem locum Nicetas: *at, inquies, munus parabo, ſplendidamq; veſtem, quam poſt baptiſmum induam,*

atq; etiam menſam, qua initiatorem meũ excipiam. hæc quidem neceſſaria ſunt: nec, ſi ita præparatus non fueris, propterea baptiſmi gratiæ quicquam decedet. Quare, ſi comparãdæ veſtis difficultas aliquot à baptiſmo accipiendo retardabat: nemo iam, opinor, dubitabit: quin eorum, qui baptizandi erant, ſumptibus emeretur. Locupletius huius rei teſtimonium habemus apud Amphilochium Iuniorem (Baronius enim in martyrolog. 1. Ianuar. putat, hunc non eſſe Amphilochium ſupparem S. Baſilio, ſed alium) qui in vit. S. Baſil. refert, eum, & Eubulum, cum ſacri baptiſmatis auidi, Hieroſolymam ſummo religionis ardore proficiſcerentur, omnem rem familiarem in pauperum alimenta corrogaſſe, præter eam, quæ ad veſtem albam comparandam neceſſaria erat. Sic enim habet: *Venditis igitur, diſtractiſque & diſtributis rebus ſuis, comparatiſque ſolummodo veſtibus, ad ſanctum baptiſma neceſſariis, ibant Hieroſolymam, ingentem hominum gentilium turbam Chriſto lucrifacientes.* Ad cuius ſimilitudinem Conradus à Lichten. in chron. ann. 1124. narrat, Pomerianis, ab Ottone Eambergenſi ad Chriſtum allectis, præceptum fuiſſe, vt, veſte candida comparata, filios ſuos ſalutari baptiſmo admouerent. Legimus enim: *Otto Eambergenſis Epiſcopus Pomerianis à ſe conuerſis iniunxit, vt infantes ſuos in Sabbato ſanctæ Paſchæ, & Pentecoſtes cum candelis, & cappa, quæ dicitur veſtis candida, & patrinis comitantibus ad baptiſmum deferant*, Verum tamen eſt, egenis, & quibus nulla, aut parua res familiaris erat, Eccleſiæ ſumptibus ſuppeditatam. Ad quẽ vſum

Egenis albæ veſtis ſuppeditabatur Eccleſię ſumptibus.

Conſtãtinus Imperator ex ſuis theſauris multam vim pecuniæ numerauit; teſte Sim. Metaphraſte de vit. S. Syluest. cum ſcribit; *cum autem Sylueſter eius caput tetigiſſet, & eum in aquam immerſiſſet, & ſanctam, ſimulque venerandam inuocaſſet Trinitatem lux repentè totam domum circumfulſit. cum autem veſtem candidam induiſſet lumi noſam, dixit iis, qui aderant, ſe ſenſiſſe manum diuinam ſuper extenſam, quæ eum tetigit immerſum in piſcina. decreuit autem, vt, qui vellent, ſecurè poſſent religionem eligere Chriſtianam, & ad Chriſti fidem accedere, & baptizari, impenſis, quæ fiebant ad illuminationem, & veſte ſuppeditata ex theſauris Imperatoris.* Immo etiam Damaſus Papa in vit. S. Sylueſt. 1. hoc ipſum indicare voluit, dum eiuſdem Conſtantini liberalitatem in ſancta baptiſteria pluribus verbis enumerans, inquit: *Huius temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus baſilicas iſtas, quas & ornauit. Baſilicam Conſtantinianam, &c. fontem ſanctum ex lapide porphyretico, &c. Donum ſancto fonti: Maſſa Feſti ex territorio Gabinenſi, præſtans ſolidos ducentos, & duos. Maſſa Pictas, ex territorio ſupradicto, præſtans ſolidos* ... *Maſſa Statjliana ex territorio Sorano, præſtans ſolidos* 300. *Maſſa intra Siciliam Taurana ex territorio Parentienſi, præſtans ſolidos quingentos. Intra vrbem Romam domus, vel horti, præſtantes ſolidos bis mille trecentos, Fundus Baſſi, præſtans ſolidos centum viginti. Maſſa Laninas ex territorio Carſiolano, præſtans ſolidos ducentos. Fundus Catulli ex territorio Nomentano, præſtans ſolidos quinquaginta. Maſſa Statiana ex territorio Sabinenſi, præſtans ſolidos trecentos quinquaginta. Maſſa Murina ex territorio Appiam Al-*

Certi redditus Eccleſiarum pro veſte candida egenis ſuppeditanda.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ban. territorio Sorano, præſtans ſolidos 200. Tranſmarina intra partes Africæ. Maſſa Vincis, ex territorio Mucario, præſtans ſolidos 800. Maſſa Capſis ex territorio Capſicano, præſtans ſolidos 600. Maſſa vara Sardana, præſtans ſolidos quingentos. Maſſa Camaras, ex territorio Curtalupi præſtans ſolidos 405. Maſſa Numans, ex territorio Numidiæ, præſtans ſolidos 650. Maſſa Sulfurata ex territorio Numidiæ, præſtans ſolidos 720. Maſſa Baldarioliaria, ex territorio Numidiæ, præſtans ſolidos 810. In Græcia, Maſſa Cephaleia, præſtans ſolidos quingentos. In Magaluſo, Maſſa Amazon, præſtans ſolidos 222. Hæc enim omnia ſancto baptiſterio donata ſunt, vt Epiſcopi arbitrio in vſus neceſſarios inſumerētur; quorum primum veſtis candidæ fuiſſe, omniū rectè ſentiētium conſenſu firmata eſt opinio. Paulus etiam Epiſcopus, cum Hebręum quendam, ex aſpectus iudicio pauperem, qui, ſimulato Chriſtianæ religionis ſtudio, multas pecunias hincinde corradebat, ſacroſancto baptiſmatis myſterio initiaturus eſſet, præter cætera ad baptiſmum neceſſaria, veſtem quoque cādidam pro eo comparauit: ſicut apud Socratem lib. 7. hiſt. cap. 17. ſcriptum eſt in hunc modum: *Iudæus contra voluntatem ieiunare coactus, acriter inſtare, vt baptiſmo donetur: Paulus Epiſcopus, quoniam illum tam obnixè baptiſma petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptiſmum neceſſarias: cumque veſtem ſplendidam pro illo emiſſet: &, alueum baptiſterij aqua impleri, iuſſiſſet: Iudæum eo deduxit, vt baptiſma illi impertiret.* Similia pietatis exempla Gregorius Pontifex I. cum in aliis vehementer amauit, tum ipſe ſumma

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animi contenſione expreſsit. Nam in omnes partes Chriſtianæ adiuuandæ rei animum, ac vires intendens, cum audiuiſſet, Iudæos in Sicilia moram trahentes, fidei ampleſtendæ ſtudio teneri, Fauſtinum Defenſorem, egregium vineæ Domini cultorem, ad eos agros ſubigendos miſit. Et, quia optime norat, quam fugacia ſint occaſionum momenta, & quam irreuocabilis Eccleſiæ augendæ præteruolet opportunitas, hominum varietati, & mutationi conſulere volens, eundem Defenſorem operi inſiſtere, & ſingulis pauperibus veſtem ad baptiſmum neceſſariam ſuis ſumptibus emere, lib. 7. Epiſt. 24. præcepit his verbis; *huius authoritatis tenore præcipimus, ut, omni excuſatione ſummota, ad prædictum locum pergere, & deſiderium eorum tuo, Deo propitio, adhortationibus adiuuare feſtines, quibus tamen ſi longum, vel triſte videtur ſolennitatem ſuſtinere Paſchalem, &, eos nunc ad baptiſmum feſtinare, cognoſcis: ne (quod abſit) longa dilatio eorum poſſit retro animos reuocare, cum fratre noſtro, & Epiſcopo loci loquere, vt, pœnitentia, ac abſtinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominica, aut, ſi celeberrima feſtiuitas fortaſſis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia proſequente baptizet. quiſcunque vero ex iis pauperes, & ad veſtem ſibi emendam non ſufficere poſſe, cognoſcis; te eis veſtem, quam ad baptiſma habeant, comparare volumus, ac præbere.* Et Epiſt. 16. lib. 4. ad Venant. Epiſcop. Lunens. poſteaquam eius conſultationi de lapſis ad ſacros ordines non admittendis egregie reſpondit: ſe inopi mulieri, quæ fidem Chriſtianam, & baptiſmum ſitiebat, veſtem candidam

Epiſcopi à Pontifice fratres appellati.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

miſiſſe, ſignificat: cum ait: *veſtem vero ei, quæ baptizanda eſt, direximus: atque, vt nobis talia ſcribatis, ſemper optamus.* Quæ cum ipſa per ſe magna ſint, ingentem quoque laudis, & commendationis materiam veteribus ſcriptoribus præbuere. E quorum numero Ioannes Diaconus, magnæ authoritatis vir, in vita eius, poſt longam aliarũ virtutum ſeriem, huic primas partes tribuit, quod cæleſtis regni promiſsione, albæ veſtis largitione, aliiſque muneribus (quibus nullus acrior ſtimulus eſt ad hominum mentes, quo volumus, impellendas) Iudæos, in veteri fide retinenda nimium ſui iuris, & ſententię, ad Chriſti ſtipendia ſollicitaret. Ita enim loquitur: *enimuero tam læuigationibus dationum, quam promiſsionibus regni cœlorum Iudæi per diuerſa loca ad Chriſtum, quem fratres eorum negauerant, venire cœperunt: quibus cum ſalute animæ, veſtimẽta quoque baptizandis habilia conferebat.* Multa præterea teſtimonia ſimilia proferri poſſunt: ſed vereor, ne, ſi fuero in probatione rei clariſſimæ diutius immoratus, aut oblitus eſſe propoſiti videar, aut crimen loquacitatis incurram.

CAP. XII.

De ritu veſti candidæ benedicendi; & de tempore, quo baptizati ipſam deferebant.

EXponam igitur ordine veſti candidæ benedicendi conſuetudinem. cuius tametſi